conſtat ex deciſionibus editis coram Cerro 629. & 661. & 889. coram Priolo *dec.* 351. & 369. coram Vicecomite *dec.* 6. *p.* 17. & *deciſ.* 182. *part.* 19. ex mandato de manutenendo contra titularem approbato per ſignaturam juſtitiæ, ex
16 productione Proceſſus Parochialis de anno 1678. ex ſucceſſiva propoſitione cauſæ in Rota de an. 1679. cor. bo. me. Rondinino, in qua ſuſpenſa fuit reſolutio, ex ſubrogatione eidem defuncto Eminentiſſ. Cavallerini, & huic ad Nunciaturam Regis Chriſtianiſſimi miſſo, bo: me: Emerix Junioris, cor. quo emanarunt relatæ geminæ deciſiones de an. 1692. & 1695. ex quibus omnibus emicat ad evidentiam, quòd ſolutiones penſionum fuerunt coactæ metu mandati, & pendente lite, quo caſu, ſignanter dum agitur de judicio petitorio, nullatenùs relevant, cum neceſſe ſit lapſum temporis annorum 30. fuiſſe completum, quòdque ſolutiones factæ fuerint ſpontaneè, & non poſt motam litem, per ea,
17 quæ obſervant in his terminis Palm. Nep. *alleg.* 35. *num.* 37. *verſ. quia primo loco*, Garz. *de benef. p.* 1. *c.* 5. *nu.* 468. Rot. cor. Buratt. *dec.* 296. *nu.* 3. cor. Dunoz. Jun. *dec.* 880. *nu.* 10. cor. Celſ. *dec.* 406. *n.* 5. *in rec. dec.* 41. *nu.* 17. & 18. *p.* 18. & *in deciſ. hujus cauſæ* 134. *n.* 4. & 5. *p.* 15. *dec.* 6. *n.* 16. & 18. *p.* 17. & in alia bo: me: Emerix prima Decembr. 1692. §. *Prout nec*
18 *refert*, minimè obſtantibus *dec.* 245. *n.* 6. Gregor. *dec.* 183. *n.* 12. & 76. coram Cerro, aliiſque in poſtrema contraria deciſione citatis, cum ibi ſolutiones ſupponantur pacificæ, ſpontaneæ, & ante motam litem ſequutæ, ut reddantur inapplicabiles.

Similis irrelevantia detegitur ſecundum adminiculum elicitum ab expreſſione pariformis valoris ducatorum 3500. facta per titulares, tam anteceſſores, quàm modernum, quoniam præterquam quòd datur proviſio cum expreſſione valoris in ſolis ducatis 1250. *Summ. Nurræ nu.* 1. tales expreſſiones antecedentium titularium ſecutæ fuerunt ad parendum Officialibus datariæ pro eorum intereſſe, cum præambula ſolemni proteſtatione ipſius Nurræ, factæque noſcuntur per non exceſſum, quæ cum poſſint verificari etiam in qualibet ſumma, ad nihil deſerviunt in probationem veri valoris per aſcenſum, Card. de Luc. *de benef. diſc.* 90. *n.* 22. Rot. cor. Greg. *deciſ.* 13 *nu* 5. Dunoz. jun.
19 *dec.* 880. *n.* 7. *rec. dec.* 120. *n.* 15. *p.* 17. & in relatis Compoſtellana Parochialis 26. Junii 1693. §. *Non obſtat verſ. quia ad effectum*, coram R.P.D. meo Caprara, & in Tuden. Parochialis, §. *Ex his in fine*, coram eodem.

Sicuti nec urget tertium adminiculum depromptum ex teſtibus deponentibus de publica voce, & fama, & de auditu à primo titulari, quia hic non agitur de probatione valo-
20 ris per non exceſſum, in quibus terminis procedit Rot. *dec.* 293. *nu.* 1. *p.* 1. *diverſ. & in rec. dec.* 62. *n.* 15. *p.* 10. ſed de probatione valoris per aſcenſum, ubi requiruntur proba-
21 tiones plenæ, & concludentes, ex firmatis per Palm. Nep. *alleg.* 36. *nu* 1. & 2. Rot. cor. Coccin. *dec.* 2276. *nu.* 11. coram Bich. *dec.* 255. *nu.* 4. *cum ſeqq.*

Præterea ceſſat quælibet difficultas, quia è converſo duo teſtes, quos induxit titularis prædeceſſor, ambo Sacerdotes, & verſati in prædictis villis, cum alter fuerit collector, alterque computator decimarum, referunt de tempore reſervationis valorem canonicatus non excedere lib. 9000. longè minorem expreſſo, ſignanter cum adminiculentur ex arrendamentis datis *in Summ. Nurræ num.* 2. 8. ex deſcriptione facta in libris capitularibus noviſſimè exhibitis, ubi habetur fructus de tempore reſervationis eſſe longè minores quantitate narrata, quibus fidem eſſe præſtandam, obſervant Card. de Luc. *de penſ. diſc.* 6. *num.* 14. & *de benef.*
22 *diſcurſ.* 90. *num.* 68. Rot. *in recent. dec.* 550. *nu.* 2. *p.* 1. *dec.* 830. *num.* 11. & in Romana Penſionis 4. Junii 1685. §. *Ex his igitur*, cor. Illuſtriſs. Flores, & prima Julii 1686. §. *Primò itaque*, cor. bo. me. Rondinino; ex locationibus, & ceſſionibus fructuum plenè recenſitis in deciſione prima Decembris 1692. §. *Quinimò*, cor. bo. me. Emerix, ut ex his vel penitùs deſtruatur probatio penſionarii, ſeu in omnem caſum negari non poteſt, quòd hæc omnia deducta per modernum titularem reddant dubias probationes illius, qui in hoc petitorio judicio tenetur plenè juſtificare valorem
23 expreſſum, itaut titulari reo convento ſufficiat ejus probationes offuſcare, benè Rot. cor. Cerr. *deciſ.* 838. *nu.* 11.

Et ita reſolutum DD. omnibus videntibus, & partibus acerrimè informantibus.

R. P. D. MUTO.

Calaritana Penſionis.

Ven. 21. *Februarii* 1698.

ARGUMENTUM.

Superiùs recenſita deciſio emologatur.

SUMMARIUM.

1 *PEnſio in totum corruit, ſi penſionarius non probaverit valorem expreſſum.*
2 *Valor ad dictum effectum eſt probandus per uniformem fructuum perceptionem.*
3 *Teſtes dubitativè loquentes inſervire non poſſunt pro valoris probatione ad effectum ſubſtinendi penſionem.*
4 *Teſtes de auditu à perſonis incertis non attenduntur.*
5 *In materia teſtium non admittitur retrotractio, ſed probatio debet eſſe certa.*
6 *Teſtis contra inducentem pleniſſimè probat.*
7 *Nec attenditur exceptio, quod cenſeatur approbata perſona teſtis, non autem dicti, ſi inducens depoſitione uſuſfuerit, & n.* 8.
9 *Expreſſio facta per non exceſſum eſt verificabilis in qualibet ſumma minori.*
10 *Penſionarius non probat valorem beneficii ex ſolutione mediæ annatæ per titularem ſucceſſorem exaratæ.*
11 *Solutio penſionis, ſi pacifica non fuerit, præbere non poteſt adminiculum pro verificatione valoris.*
12 *Valor expreſſus*, per aſcenſum, & *cum clauſula*, ut aſſeris, *eſt per univocas*, & *concludentes probationes verificandus.*
13 *Limita, ſi agatur de probatione valoris non affirmativè, ſed conditionaliter expreſsi.*
14 *Prout quoque, ſi retractaretur in judicio ſummario ad effectum exequendi gratiam.*
15 *Probationes imperfectæ attenduntur, quoties proponantur ad coadjuvandam probationem, quæ perfecta ſit.*
16 *Ut indicia & præſumptiones ſufficiant in iis, in quibus perfectæ requiruntur probationes, exigitur lapſus octuaginta, & ultra annorum.*
17 *Teſtes deponentes de tempore præciſo tollunt quamcumque contrariam præſumptionem.*
18 *Locationes decimarum inſerviunt pro adminiculo verificandi quantitatem fructum beneficii.*
19 *Libris capituli ſtandum eſt.*

DECISIO LXXIII.

PErſtiterunt hodie PP. in ultimo loco deciſis coram me ſub die 11. Januarii ſuperioris anni, rurſus authumantes conſtare de inviliditate penſionis, de qua agitur, reſervatæ per ſa: mem: Urbanum VIII. ſuper Canonicatus Eccleſiæ Calaritanæ fructibus ad favorem Ambroſii Santucchii Macchini, ſiquidem cum iſte Pontifici expoſuerit, hujuſmodi Canonicatus fructus aſcendere ad duc. auri de Camera 3500. deindeque valorem narratum juxta ejus incumbentiam non probaverit, nec eumdem valorem excludere teneatur Joannes Paulus Nurra modernus titularis
1 non conſentiens, certi juris eſt, penſionem præfatam in totum corruere, nec poſſe in parte ſubſtineri, ad firmata in deciſ. edita in hac cauſa coram bo. me. Emerix Decano die 1. Decembris 1692. §. *Sententia enim*, & in d. poſtrema cor. me, §. *inevitabilis, ſiquidem*, & ultra ibidem congeſtos, Rot. *in rec. dec.* 342. *n.* 3. *p.* 4. *tom.* 2. *dec.* 120. *nu.* 2. & *ſeq. p.* 17. & *dec.* 365. *à n.* 1. *ac dec.* 379. *n.* 4. & 6 *cum ſeqq. p.* 19.

Abſque eo, quòd ad hanc probationem eliciendam iterùm recurri potuerit ad teſtes remiſſoriales, ob plures relevantiſſimos defectus, quos patiuntur; nam vel ſunt ſingulares in ipſorum dictis, aut dubitativi, & de auditu, ſeu non verſati in recollectione fructuum, & de eorum credulitate, & in judicio, non tamen de certa ſcientia, & quod magis eſt, inveriſimilia deponunt referentes poſt lapſum 30. annorum quantitatem iſtorum fructuum, & quidem ſemper uniformem ſingulis annis; ut ex his nullam præſtandam eſſe fidem dd. teſtibus, plenè advertitur in d. poſtrema deciſione coram me, §. *Teſtes ſiquidem*, & præter ibidem allegatos, quod teſtes dubitativos, Cyriac. *contr.* 50. *n.* 28. *lib.* 1. Palm. Nep. *alleg.* 351. *n.* 19. *tom.* 4. Rota coram Dunoz. Jun. *dec.* 804. *n.* 8. & *in rec. dec.* 171. *n.* 6. *par.* 10. & de teſt. de credulitate, & non ex certa ſcientia deponentibus, Thomat. *dec.* 3
214. Rota coram Manzaned. *dec.* 194. *utrobique n.* 15. *in rec. deciſ.* 267. *num.* 1. *part.* 18. & in Camerinen. bonorum 24.

Martii

Martii 1681. §. *Secundus teſtis*, coram bon. me. Paluccio.

Minùs obſtante, quòd agatur de probatione quantitatis fructuum univerſis territorii duarum villarum, ex quibus proportionaliter canonicatus redditus conſtituitur, ut ferè impoſſibile, ſeu ſaltem difficile fuerit reperiri teſtes, qui de ſingulis fructibus certitudinaliter, & de viſu deponant; præter quàm quòd enim aſſumpta, & articulata dumtaxat fuit probatio valoris fructuum canonicatus, ſecus autem univerſi Territorii, præſuppoſita impoſſibilitas, ſeu difficultas removetur, ex quo aderant collectores decimarum, qui pro concludendo vero valore fructuum induci poterant teſtes, prout infra induxit antecedens titularis, adeout ſibi imputet penſionarius, ſi iiſdem neglectis examinari curaverit teſtes ruſticos, uon informatos, & de ſimplici auditu referentes, quibus præſuppoſita difficultas probationis potiùs obſiſtit, quàm fidem conciliet; nam cum non fuerint in recollectione fructuum verſati, tam audacter de ipſorum quantitate deponere non poterant; quin ſuffragetur auditus ab aliis, nam habitus ex perſonis incertis, nullius relevantiæ, argumento Textus *in cap. licet ex quadam de teſtibus*, ibique Gloſſ. & DD. habitus verò per 5. teſtes de Villa Sanlur, & per alium de Villa Sor à collectoribus decimarum, redditur inveriſimilis, cum fuiſſet valor narratus certus, & invariabilis, non autem ut hic dubitativus, & inconſtans. Nec eſt, quod replicetur 5. 6 & 7. teſtem certitudinaliter deponere, ac inſimul optimas ſcientiæ cauſas reddere, nam contrarium præſefert lectura reſponſionis ad ſeptimum interrogatorium; prout etiam nec tollit recenſitam ipſorum teſtium inveriſimilitudinem animadverſio contraria, quòd non depoſuerint conſtanter, & fixè de certa fructuum quantitate, ſed per non exceſſum uſque ad certam ſummam; nam nihilominùs ultra dictorum teſtium irrelevantiam ad probandum valorem inveriſimil itudo non ceſſat, ex quo unoquoque anno abſque diſtinctione unionis ab altero ſemper eadem quantitas fructuum refertur.

Indubitanter teſtium fides in totum deſtruitur, tum ex non deductione onerum, & expenſarum in conſervatione, & recollectione fructuum; & quamvis poſterioris remiſſoriæ teſtes deponant de oneribus, quia non percutiunt tempus reſervationis penſionis, nec attento, quòd indefinitè deponant, cum exindè referri non poſſint ad quodcumque tempus, nam in materia teſtium non admittitur retractio, ſed probatio debet eſſe certa, & concludens, Magon *dec. Florent.* 55. *numer.* 40. Rot. poſt Urceol. *de tranſact. deciſ.* 72. *numer.* 8.

Tum magis quia recenſiti teſtes à relatis fructibus non ſubducunt portiones exemptorum à decimis, quos adeſſe deponunt quatuor teſtes per ipſum penſionarium inducti nimirum 6. 7. 8. & 9. Nullatenùs adverſante, quòd præter 6. cæteri alii de exemptorum exiſtentia dumtaxat in genere deponant; nam vel id ſufficit ad effectum excipiendi de non plena probatione valoris iſtorum fructuum penſionario incumbente, aut ſaltem ex dicto ſpeciali præfati ſexti teſtes per ipſum penſionarium inducti, atque ex aliis adminiculati, etſi in genere deponant, nihilominus probant, per ea, quæ ad propoſitum conſiderat Rota co-
6 ram Coccin. *dec.* 1130. *nu.* 4. coram Royas *dec.* 329. *nu.* 11. & in Colonien. Præcedentiæ ſuper bono jure 4. Junii 1696. §. *Et licet*, coram me. Nec minùs urgente, quòd de hac exemptione non conſtet, quandoquidem ad effectum excipiendi de non facta probatione veri valoris, quidquid foret, ſi ageretur principaliter de exemptione, opus non habet Modernus titularis exemptionem per privilegium, ſeu immemorabilem concludere; ſed ſatis eſt oſtendere, quòd de facto exiſtant exempti, præſertim ex depoſitione dicti ſexti teſtes à penſionario inducti, qui contra ipſum plenè probat, licèt excipiatur, quòd per inductionem cenſeatur
7 ſolùm approbata perſona teſtis, ex Rota præ cæteris Cavalcr. *deciſ.* 366. coram Coccin. *deciſ.* 177. *nu.* 4. poſt Zacchiam *quæſt. Medich. legal. dec.* 39. *num.* 5. & *in recent. dec.* 344. *nu.* 20. *par.* 9. cum penſionarius hunc teſtem, & alios non ſolùm induxerit, ſed ipſorum depoſitionibus uſus fuerit, per quem uſum illos, eorumque dicta approbaſſe cen-
8 ſeatur, Cancer. *variar. reſol. part.* 1. *cap.* 26. *n.* 73. §. *Quamvis*, Magon. *dec. Lucen.* 46. *nu.* 32. *in fin. verſ. & uſus*, Rot. *in rec. dec.* 191. *nu.* 11. *par.* 12.

Detectis inſubſiſtentibus teſtium depoſitionibus, facili negotio ſubmoventur adminicula, quibus eadem fulciri prætenditur ad probationem veri valoris. Quoniam primum deſumptum ab expreſſione facta per Nurram Modernum titularem fructuum iſtius Canonicatus in pari ſumma ducatorum 5300. & ex uniformi ſolutione medietatis annatæ, nullius relevantiæ apparuit; quoniam expreſſio facta fuit per non exceſſum, quæ verificabilis eſt in qualibet ſumma minori, ex allegatis in Compoſtellana Parochialis 26. Junii 1693. §. *Non obſtat*, coram R.P.D. meo 9
Caprara, & ſolutio medietatis annatæ ad eamdem rationem ſucceſſit parendi gratia officialibus Datariæ, quæ ex hac cauſa non præjudicat, ut in ſpecie reſpondit Rota *in* 10
recent. dec. 306. *num.* 7. *cum ſeq. part.* 10. Neque plus valuit aliud adminiculum deſumptum ex longæva ſolutione penſionis, eò quia ſolutio non fuit pacifica, ſed in ipſomet exordio reſervationis hujuſmodi penſionis primus titularis ex capite non juſtificati veri valoris eam contendere cæpit, deindeque titulares ſucceſſores, ut fidem perhibent tot reſolutiones Tribunalis noſtri, aliique judiciales actus ordinatim recenſiti in poſtrema deciſione coram me, §. *Minus ad ſuadendam*; ſolutione namque pacifica non exiſtente, ex ea nullum deſumi poteſt adminiculum pro ſubſtinenda penſione, ad tradita per Garz. *de benef. part.* 1. *cap.* 5. *nu.* 458. 11
Rota coram Dunozett. Jun. *dec.* 880. *nu.* 10. coram Celſ. *dec.* 406. *nu.* 5 *in rec. dec.* 41. *nu.* 17. & 18. *part.* 18. *cum aliis in dicta poſtrema dec.* coram me, *eodem*, §. *Minus ad ſuadendum in fin.* ubi concordantes. Nec oppoſitum firmat Rot. in Romana penſionis 17. Junii ſuperioris anni coram me; nam ibi aderat antiquiſſima ſolutio Magni Pernei titularis, una cum ſententia pro validitate penſionis in petitorio judicio lata, deinde roborata tranſactione confirmata in forma ſpecifica per ſan. me. Urbanum VIII. & poſt extinctam litem ſubſequuta fuerat diuturna, & pacifica ſolutio penſionis ſpatio 30. annorum, quæ circumſtantiæ deficiunt in hypotheſi, ſed potiùs contrariæ concurrunt, ex quibus hæc deciſio redditur inapplicabilis.

Neque ex dictis teſtibus, & præſuppoſitis adminiculis licèt ut ſupra irrelevantibus, verumque valorem non concludentibus, præſumi poteſt ſufficientem nihilominùs probationem fuiſſe conſtitutam, ex quo agatur de liquidando valore difficilis probationis poſt lapſum triginta annorum poſtque caſum epidemiæ ſequutum de anno 1656. Etenim cum agatur de valore affirmativè expreſſo per aſcenſum, & cum clauſula, *ut aſſeris*, ſuper quo fundatur gratia reſervationis penſionis, certum eſt, ad illius juſtificationem requiri probationes omninò concludentes, nec ſatis eſſe minùs validas, & imperfectas, Lotther. *de re benef. lib.* 1. *q.* 43. *n.* 1. 12
cum ſeqq. Garz. *de benef. p.* 1. *c.* 1. *ex n.* 476. & *n.* 527. ubi refert plures reſolutiones Sac. Rotæ, Tondut. *de pebſion. cap.* 14. *n.* 11. & 12. Rot. *in recent. dec.* 144. *nu.* 1. & *ſeqq. par.* 2. & coram Cardin. Cerro *dec.* 578. *nu.* 3. & 4. *cum aliis in dec. hujus cauſæ alleg.* & ſignanter in poſtrema coram me, §. *Inevitabilis*, Quidquid foret, ſi ageretur de probandis fructibus beneficii ad effectum, ut ex eis poſſit Rector ſubſtentari, ſeu pro verificatione clauſulæ: *Dummodò remaneant centum pro Rectore, ſeu millè pro Epiſcopo.* Ex quo mitiùs proceditur pro juſtificando valore poſito in conditione, quàm affirmativè expreſſo, & ſuper quo tota ſubſtantia gratiæ fundatur, in quibus terminis loquuntur *dec.* 255. & 277. coram Gre- 13
gor. *dec.* 556. *num.* 20. coram Bich. *deciſ.* 861. *nu.* 7. & 8. coram Merlin. *in oppoſitum allegatæ*; vel ſi agatur de probanda narrativa valoris ad effectum exequendi gratiam in judicio ſummario, juxta ſenſum Rotæ *in recent. deciſ.* 90. *nu.* 14
7. & 8. *par.* 17. pariter in adverſum ad duct. aut imperfectæ probationes adducantur in judicio petitorio ad effectum coadjuvandi alias probationis ſpecies perfectas, & efficaces, cum eo caſu tendant potiùs ad ſupplendam ſuperlativam probationem, ut *in dec.* 183. & 216. *dec.* 6. coram Card. Cer- 15
ro *in contrarium relat.*

Circumſtantiæ autem, quòd teſtes examinati fuerint poſt triginta, & ampliùs annos à die reſervationis penſionis, & poſt epidemiam ſequutam in Regno Sardiniæ de anno 1656. ideòque de tempore minùs apto ad inveniendas perfectas probationes per teſtes, non minuit hoc onus rigoroſæ probationis, tum ex quo tempus antiquum pro admittendis præſumptionibus, & indiciis ad conſtituendam probationem, debet eſſe magis longum 80. & ultra annorum, ut obſervant Farinac. *de teſtib. q.* 69. *nu.* 142. Card. de Luca *de jurepatr. diſc.* 57. *nu.* 33. Rota coram Ver. *dec.* 28. *nu.* 4. *p.* 1. tum etiam ex quo ſi deficiebant teſtes, aliunde valor Canonicatus in Eccleſia Cathedrali per libros, & ſcripturas au- 16
thenticas juſtificari potuiſſet.

Demùm ceſſare viſa fuit quælibet difficultas ex probationibus in adverſum ex abundanti adductis per Nurram modernum titularem pro excluſione valoris in litteris reſer-

ta-

servationis expressi, quarum prima resultat *ex duobus testibus altero collectore, alteroque computatore decimarum*, aliàs per Georgium præcedentem titularem examinatis, & percutientibus tempus præcisum reservationis pensionis, aliosque plures annos ante, & post, longè minòrem summam narrata referentibus, qui tollunt quamlibet contrariam præsumptionem, & subvertunt ass. adminicula, Rota *in recen.*
17 *dec.527. nu.12. part.14. & dec.396. nu.12. par.18.* Secunda descendit ex publicis instrumentis locationum quinti decimarum spectantium ad Parochiales Ecclesias dictarum villarum idem confirmantibus, quæ multùm deserviunt ad
18 probationem valoris, Rot. *in recent. decis. 158. num. 17. & 18. part.1. & dec.186. num. 8. 11. & 16. part.16.* & præsertim, *si locationes, ut hic, sint plures, & adminiculatæ.* Et tertia constituitur ex descriptione minoris valoris facta in libris capitularibus, quibus fidem præstandam esse firmat dicta postrema mea decisio, *§. finali.* Non subsistente pro diminuenda fide dd. libris, ac pro arguenda ipsorum inexistentia, quòd Capitulum non habeat in his decimis interesse, cùm tres quinti spectent ad Canonicum, alius ad Parochos, & alter ad Ecclesias Parochiales, eò quia super quinto Ecclesiarum Parochialium participat Capitulum pro tertia parte, ut testatur Canonicus Cosmus Scarcionus secundus testis, Georgii antecedentis titularis olim collector, super primo, & tertio articulo, & resultat ex locatione ejusdem quinti facta per ipsummet Capitulum, cum expressione pertinentiæ sibi tertiæ partis. Consimilis inefficaciæ est aliud objectum, quòd Archivium capitulare non sit legale, cum oppositum ostenditur ex ipsomet *Summ. pensionarii dato in propositione diei 19. Novembris 1694. nu.* 13. Et postremò perperam relevantia librorum contenditur, ex quo concordent cum dictis locationibus, cum ex illis potiùs adminiculentur, & robur accipiant; quòdque illius partitæ in extractione fuerint proprio matre à Notario suppositæ ascendere ad quintum decimarum, nam id cessat, eò quia pensionarius in illarum extractione fuit præsens, & nihil opposuit extractioni partitarum, sed dumtaxat post peractam extractionem ab anno 1620. usque ad annum 1646. abivit declarando, quòd jam viderat, & quòd ipsi sufficiebat recognitio quinque annorum ante, & quinque annorum post reservationem pensionis.

Et ita neglecta oblatione facta per pensionarium assumendi in se administrationem, & præstandi congruam titulari, resolutum fuit PP. omnibus suffragantibus, & partibus auditis.

REVERENDISS. D. URSINO DECANO.

Neapolitana Pensionis.

Lun. 22. Aprilis 1697.

ARGUMENTUM.

In judicio possessorio licèt tantùm nudum factum sit respiciendum, nihilominùs quando in eo petitur solutio pensionis, exigitur coloratio tituli, adeò ut si excipiatur extinctam esse pensionem, ex quo pensionarius statum mutaverit, non sufficiat pro impetranda manutentione possibilitas indulti pro illius retentione, minùsve ipsius indulti exhibitio, si clarè constet suffragare non posse; & ad hunc effectum declarantur ea quæ notavit Card. de Luca *in disc. 45. de pens.*

SUMMARIUM.

1 *Manutentio pensionario denegatur, si nimis patens ejus malum jus in petitorio convincatur.*

2 *In materia pensionum solum factum legitimam possessionem non tribuit, & nu. 3.*

4 *Adeòut exigatur coloratio tituli, qui si pateat infectus insufficiens etiam pro effectu manutentionis reputatur.*

5 *Ad impediendam manutentionem ex capite nullitatis reservationis pensionis opus est ipsam nullitatem verificare ex iisdem litteris.*

6 *At si nullitas fundatur super extinctione pensionis, sufficit, ut aliundè etiam verificetur.*

7 *Exceptio quòd pensionarius contraxerit matrimonium impedit manutentionem.*

8 *Declara, ut non procedat, si adsit indultum, cujus relevantia dignosci tantùm debet in judicio petitorio.*

9 *Sub declara, ut declaratio sit tantum admittenda, quoties indultum oppositum extinctioni illam evidenter cessare faciat, & probabiliter dubitari non possit de illius efficacia.*

10 *Vel saltem quoties incontinenti non constet indultum urgere non posse, & n. 11. 12. 13.*

14 *Indultum pro retinendis pensionibus reservandis, non operatur quoad pensiones jam reservatas.*

15 *Dispensationes tamquam odiosæ strictè sunt interpretandæ ad limites litteræ, prohibita quacumque extensione, vel subintellectu.*

16 *An indulta præservatione obtenta pro pensionibus reservandis suffragentur etiam pro transferendi, & n. 17.*

18 *Dispensatio pro obtinendis pluribus beneficiis non suffragatur pro obtentis.*

19 *In indulto pro retinendis pensionibus expressio transferendarum non dicitur otiosa, cum submoveat quæstionem, an sub reservandis contineantur transferendæ.*

20 *Pensio, quæ tranfertur in alium, est eadem in substantia, quæ ab initio fuit reservata, & tantùm per eam mutatur persona, & delegatio solutionis alteri faciendæ.*

21 *Ex quibus probetur negativa non existentiæ alterius indulti.*

DECISIO LXXIV.

Amplectendo hodiè iterùm PP. fundamenta resolutionis coram me editæ sub die 26. Novembris proximè præteriti, denuò fuerunt in sensu, Aloysium titularem incontinenti docuisse de pensionibus extinctione ob contractum matrimonii per verba de præsenti à pensionario initum, qua data, illi, etsi possidenti etiam post contractum matrimonialem, denegandam crediderunt manutentionem ob resistentiam regulæ, quæ data nullitate tituli notoria inficiente possessionem, ac inhabilitate pensionarii, & extinctione pensionis probata per liquidissimas, & incontrovertibiles probationes, denegat manutentionem ad limites possessionis, & operatur, ut petitorium absorbeat possessorium, & à titulo, non à possessione etiam in summariissimo judicio dijudicetur, de qua plenè Waimes *cons. 284.*
per tot. Tondut. *de pension. cap. 51. num. 7.* Rocc. *select. jur.* 1
disput. cap. 192. num. 39. & Rota *decis. 617. num. 7. par. 1. recen.* cum aliis fusiùs allegatis in præterita causæ decisione, *in §. 1. vers. finem.*

Hoc enim speciale est in materia pensionum, ut solum factum legitimam possessionem non tribuat; quia cum non agatur de exigenda certa summa nudum factum requirente, sed de exigenda pensione, cujus causa efficiens est gratia Papæ, sicuti non exhibitis litteris, vel supplicatione signata, pensionarius ex nuda possessione non posset per
judicem manuteneri, quia deficeret coloratio possessionis re- 1
quisita per exhibitionem gratiæ reservatoriæ, ut de antiquiori stylo testatur Buratt. *decis. 542. num. 3.* qui dicit ita 2
practicasse, dum erat Aud. C. Locumtenens, & eadem methodo Rotam processisse ex attestatione tunc temporis Decani, qui testabatur de tempore sui ingressus ita audivisse ab antiquioribus Auditoribus, & signanter à claræ mem. Cardinali Pamphilio, & innuit Rota penes Posth.
de manutent. decis. 316. sub num. 1. & de recentiori monet 3
Lotther. *de re benefic. lib. 1. quæst. 35. num. 47. & seqq.* & præcisiùs *sub n. 50. & 51.* & Cardin. de Luca *de pens. disc. 37. num. 8.* ita per claram extinctionem vitiato effectu gratiæ Apostolicæ, & per notoriam exceptionem titulo redacto ad non titulum deficit necessaria illa coloratio possessionis, & illa remanet nuda, & sine adminiculo, proin-
deque inepta ad manutentionis effectum, ut optimè se ex- 4
plicant Garz. *de benef. p. 1. c. 50. n. 556.* Posth. *de manut. observ. 62. n. 12. & observ. 64. n. 7.* Tondutus *de pens. cap. 50. sub n. 14. versic. quod ego tamen intelligo, & cap. 51. n. 7.* & Rota coram Coccino *decis. 1622. num. 1.* Idem namque est non exhibere gratiam, illamque exhibere vel notoriè vitiatam, vel patenter infectam.

Et hujusmodi theorica locum sibi vindicat, sive extinctio tituli desumatur ex eisdemmet litteris reservationis, sive ex facto novo post reservationem supervento, quia licèt ad impediendam manutentionem possidenti ex capite nullitatis reservationis oporteat illam verificare ex eis-
demmet litteris, ut tenuit Rota coram Buratt. *dicta decis.* 5
542. num. 5. & seqq. quando tamen nullitas fundatur super extinctione pensionis necessariò supponente validam reservationem, sufficit, ut aliundè verificetur, ut legere
est apud Garz. *de benefic. part. 1. cap. 5. num. 556. & 557.* 6
ubi loquitur de extinctione per professionem regularem, vel contractum matrimonii, & dixit Rota in Romana
pensionis super manutentione 5. Julii 1694. coram bonæ 7
me. Emerix, & 9. Decembris 1695. coram R. P. D. meo Scotto, *utrobique §. 1.*

Cum ergo in themate præsentis controversiæ dubitatio non emergeret super extinctione clara, & incontinenti probata ex contractu matrimonii ab ipsomet pensionario non impugnato, præallegatæ regulæ optimè militabant favore titularis etiam ad manutentionis effectum.

Nec ad illas declinandas juvit allegare indultum Apostolicum à pensionario obtentum à san. mem. Alexandro VII. quasi quòd data indulti existentia, ex ea revalidetur possessio, itaut opus non sit in judicio manutentioni discutere illius relevantiam, vel efficaciam, sed ea rejicienda veniat ad petitorium, ex sententia Cardin. de Luca *de*
8 *pensionibus disc. 45. num. 2. & 3.* & nostri auditorii, pœnes Peutinger. *decis. 277. num. 34. decis. 657. num. 6. & seqq.* coram Bich. *decis. 55. num. 10.* post Zuff. *de legitim. process. & decis. 215. par. 10. recent.* & in Cæphaluden. pensionis super manutentione 3. Junii, & 10. Decembris 1683. coram me; etenim vel hæc opinio intelligi potest, quoties indultum oppositum extinctioni illam evidenter cessare faciat, & probabiliter dubitari non posset de illius efficacia: quia aliàs data clara extinctione, & indulto altiorem indaginem requirente, Doctores non desunt, qui firment turbiditatem residere in replicatione pensionarii, & ab ea non effici materiam ita disputabilem, ut mereatur rejici ad petitorium, sed discutiendam esse in ipsomet judicio manutentionis, ut magistraliter docet Garz. *de*
9 *benefic. dicta part. 1. cap. 5. num. 557. & seqq.* Posth. *de manutent. observ. 51. num. 143.* Rocca *disp. 191. num. 41. & 42.* & Rota *decis. 559. part. 1. recent.* & punctualissimè in laudata Romana pensionis 9. Julii 1694. *§. Non obstat*, coram bonæ mem. Emerix.

Vel quatenùs opportuniori conciliatione sententia illa amplectenda veniat, nunquam intelligi poterit, nec ut sola materialis indulti existentia, nec quòd indultum in continenti detectum inefficax, & nullius roboris, valeat possessionem pensionarii revalidare; sed quòd dato indul-
10 to, vel in se efficaci, aut saltem legales, & validas exceptiones secum ferente adversus extinctionem, possit ejus vigore rejecta formali disputatione ad petitorium ex facto possessionis manutentio concedi: Et in hoc sensu se explicant Doctores in objecto laudati, qui nec in indulto ex ipsamet lectura detecto inefficaci, minùsque in illius sola materiali oppositione fundantur, ut ex distincta eorum perquisitione apparebit.

Cardinalis namque de Luca *de pension. disc. 45. n. 2. & 3.*
11 ad clientis opportunitatem, & veriùs pro obtinenda concordia fatetur consulvisse possessorii discussionem, admittens de cætero irrelevantiam indulti, quoties incontinenti invalidum, vel non justificatum appareat.

12 Rota coram Peutinger. *decis. 377. nu. 34.* loquebatur de indulto, quod satis gravem quæstionem patiebatur, an conditio in eo apposita adimpleri debuisset à die obtenti indulti, vel contracti matrimonii, quæ suaptè natura specialem discussionem in petitorio requirebat; & in eisdem terminis est *dec. 115. par. 10. recent.* ut patet ex lectura.

13 Rota verò penes Bich. *decis. 657.* post Zuff. *de legit. process.* & in Cæphaluden. pensionis coram me, non solùm quæstionem agitat in terminis indulti, pro cujus efficacia satis probabiles rationes militabant; sed de indulto ab ipsamet Rota pro optimè operativo recognito, ut deprehendi potest ex allegatis decisionibus, & signanter *à decis.* 258. Bichii, ut in eadem causa Cæsaraugustana pensionis disputata super bono jure, sicuti in præcedenti decisione discussa fuerat in puncto manutentionis; Rota canonizavit indultum efficax; idemque habetur in Cæphaluden. pensionis super bono jure sub eisdem diebus 3. Junii, & 10. Decembris 1683. coram me.

Indultum autem, de quo agitur, non solùm visum non est Dominis probabiliter relevans ad effectum, de quo agitur, aut saltem pati legales dubitationes, ex quibus mereatur in petitorio quæstionem assumere; quinimò apparuit incontinenti in ipsamet sùi facie, & ex simplici lectura inefficax, ac ineptum ad revalidandam claram pensionis extinctionem: Nam conceptum legitur pro pensionibus reservandis, sicque insufficiens operari pro jam reservatis, prout erat ista super Cimiliarchatu Cathedralis Nea-
14 politanæ, reservata ante annum 1656. tempus obtenti indulti, ut prosequitur prima causæ decisio, *§. Nec urget, & seqq.*

Nec inficiari valet, indultum loqui de pensionibus reservandis, & transferendis, ex quo in ipso regestro supplicationum Datariæ Apostolicæ verbum illud, *reservan.* sit ita abbreviatum, ut concipi etiam valeat de reservatis; quia plures, & quidem evidentissimæ demonstrationes contrarium ad oculum suadent: Et primò sumptum autenticum, citata parte, & cum omnibus solemnitatibus extractum pro parte Titularis, cui summoperè fides est deferanda, maximè data renitentia pensionarii in producenda supplicatione originali, vel brevi illius vigore obtento.

Secundò dispensatio, & habilitatio pro pensionibus reservandis, & transferendis, clarissimè registrata habetur in libris componendæ, *Summ. Titularis n. 6.* & in registro officii minoris gratiæ, *eodem Summ. n. 7.* adeòque quatenùs abbreviatura adesset in regestro supplicationum, declarata, & explicita est ab aliis eandem gratiam adnotantibus.

Data autem patenti restrictiva indulti ad pensiones reservandas, subintrant notæ regulæ, quòd dispensationes hujusmodi, uti valdè odiosæ, strictè interpretari debent, & sine ulla extensione de casu ad casum, nec ex verisimili mente concedentis, nec ex identitate, vel majoritate rationis, quia in hac materia exorbitanti non attenditur,
quod obtineri expedivisset, vel potuisset, sed quod peti- 15
tum fuerit, & concessum ad limites litteræ, omnique prohibita extensione, vel subintellectu, ut benè propositionem tuentur Sanchez *de matr. lib. 8. de dispens. disp. 1. n. 32.* Pax Jordan. *var. elucubrat. tom. 2. lib. 9. tit. 1. de dispens. n. 34.* Pignatell. *consult. canon. 19. nu. 1. tom. 3.* & Rota *dec. 514. n. 13. & seqq.* coram Coccino.

Exorbitantiam verò de jure insidentem consimilibus dispensationibus non tollit indulto, de quo res est, animadverso, quòd illud non sit revalidatorum post contractum matrimonium, & ita involvens præjudicium Titularis, sed præventivum, & præservativum re integra impetratum antè matrimonium contractum, & ideò favorabile & latè interpretandum. Quia quidquid sit, an ista indulta præservativa obtenta pro pensionibus reservandis suffragentur etiam pro transferendis, inter quas nullum adest discrimen extensionem requirens, in quo themate quæstionem
pertractant de Luca *de pension. ad ornatum Bullæ Innocen-* 16
tianæ disc. 13. numer. 20. & Rota *decis. 50. part. 5. recent.* & meliùs se explicat Tondut. *de pension. cap. 76. numer. 32. in fine*; hoc unum certum est, quòd quando agitur de amplianda de casu ad casum dispensatione regula, quæ illi resistit, non fundatur in præjudicio Tertii, nec in qualitate gratiæ revalidatoriæ, vel præventivæ, sed in naturali habilitationis exorbitantia, & in derogatione, quam per eam patiuntur Sacri Canones prohibentes conjugato retentionem pensionum Ecclesiasticarum; quapropter sive præcedat, sive subsequatur, semper Sacris Canonibus, & Ecclesiis est odiosa, & exorbitans, rejiciens proindè omnem ampliationem, & subauditum intellectum extensi-
vum, ut præter superiùs allegatos defendunt Corradus *in* 17
praxi dispensat. lib. 1. num. 8. & seqq. & alii approbativè relati à Rota *dec. 17. num. 11. & seqq. & dec. 212. num. 7.* apud Torr. *de pact. futur. success.* & novissimè in Forosemproniens. pensionis 29. Maii 1693. *§. Quoniam*, coram Reverendiss. Hervault.

Ex qua ratione compertum est, dispensationem pro ob-
tinendis pluribus beneficiis non suffragari pro obtentis, de 18
quibus Papa notitiam non habeat, ut dixit Rota *dec. 253. nu. 26. part 1. divers. & dec. 258. num. 5. part. 1. recent.* sicut etiam quòd indultum transferendi reservatas non comprehendat reservandas, probatum fuit in prima decisione, *§. Et ex consimili.*

His verò ita firmatis, non recedendo à littera indulti, parùm urgebat, vel quòd in eodem adesset expressio, *seu transferendis*, quæ otiosa remaneret, si antecedens dictio verificaretur solùm de reservandis, aut quòd verba ibidem annexa: *In loco, seu locis, ac in termino, seu terminis in eorum reservationibus contentis, seu exprimendis, ut præteritum tempus respicientia verificari valeant in pensionibus reservatis.* Nam facili negotio omnia hæc tolluntur, quia
expressio transferendarum non est otiosa, sed submovet 19
quæstionem, an sub reservandis contineantur transferendæ, quæ aliàs agitata fuit *in decis. 50. part. 5. recent.* dictiones verò *præteritum tempus* complectentes, necessariæ apprimè erunt in sequelam gratiæ obtentæ pro pensionibus transferendis, quæ cum potuerunt esse ante gratiam reservatæ, illis conveniunt verba priorem reservationem designantia, quia pensio, quæ transfertur in alium est eadem in substantia cum ea, quæ ab initio fuit reservata, & regulariter quoad solutionem, locum, & terminos secundum priores litteras reservationis, solumque per translationem mutatur persona, & delegatio solutionis alteri faciendæ, ut firmavit Rota coram Buratt. *decis.*

638. *numer.* 3. *decis.*18. coram Georg. ibique Adden. *num.* 12. & *in recent. dec.*327. *num.*4. *par.*1. & *decis.*733. *sub num.* 1. *par.* 2.

Detecta autem funditùs insufficientia indulti, quod proponebatur, minùs relevabat idealis possibilitas alterius validioris, cujusque sola spes dicebatur sufficiens ad manutentionem assequendam; etenim possibilitas etiam ista fuit elisa, dum pro parte Titularis fuerunt exactissimæ factæ diligentiæ, citata parte in dataria Apostolica, tam in registris ordinariis, & publicis, quàm in registris earum expeditionum, quæ transeunt per viam secretam, *Summario Titula-*
21 *ris nu.*4. ac ulteriùs mediante juramento requisiti Officiales de mandato Eminentissimi Prodatarii à Procuratore ejusdem Titularis, an adessent alii libri perquirendi, & an alibi gratia habilitationis adnotari valuisset, qui cum concorditer respondissent alibi non potuisse registrari, quàm in libris perquisitis, *ut in eodem Summar. num.* 4. diligentiæ dicuntur legitimæ, & plenæ, & ab eis probatur negativa alterius indulti, ad firmata per Cassador. *decis.* 5. *num.* 5. Verall. *magistral. dec.* 265. *part.* 1. fusiùsque Lotther. *de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 46. *num.* 50. & Rosa *de execution. cap.* 6. *num.* 20. *in fine*, & docet Rota coram Ludovis. *dec.*242. *num.* 6. & 7. & coram Celso *decis.* 76. *nu.* 17. & *decis.* 130. *num.* 12.

Et ita partibus auditis &c.

R. P. D. ANSALDO.

Neapolitana Pensionis.

Lun. 17. *Februarii* 1698.

ARGUMENTUM.

Confirmantur ea quæ supra patent decisa.

SUMMARIUM.

1 *Judicatum, quo ties de primo non meminit, illudque nominatim non revocat, est nullum.*
2 *Sententia notoriè, & evidenter injusta non indiget revocatione.*
3 *Sententia specificè non revocata non inducit nullitatem contrariæ sententiæ secundò emanatæ, si de ipsa non fuerit per succumbentes in actis oppositæ.*
4 *Causa ad curiam delata debet in ea prosequi, nec potest citra vitium nullitatis, & attentati, ampliùs ad partes redire.*
5 *Judex non tenetur mentionem facere in ejus sententia de contrario judicato priùs promulgato, ubi in vim independentis commissionis, & vigore novi processus, seu probationum processit.*
6 *Judicium petitorium intentatum ab eo, qui non contendit se possidere, non impeditur per possessorium à collitigante propositum.*
7 *Manutentio Pensionario denegatur, si potest dubitari de extinctione pensionis.*
8 *Pensionarius contrahens matrimonium reddit prorsùs extinctam pensionem.*
9 *Amplia, licèt vel mulier per solemnem professionem ante copulam dirimat matrimonium, vel matrimonium ipsum declaretur nullum, quia adhuc pensio non revivisciet.*
10 *In materia pensionis quando petitorium est clarum, non attenditur possessorium.*
11 *Ubi pertractatur de pensione, possessorium à petitorio dependet.*
12 *Indultum retinendi pensionem, quoties dubium sit, an suffragetur, urgere non potest pro obtinenda manutentione.*
13 *Contra recusantem exhibere scripturas oritur præsumptio, quòd illæ contra ipsum loquantur.*
14 *Deperdito protocollo, seu matrice, fides adhibetur exemplari, quod per successorem deputatum fuit transcriptum.*
15 *In ambiguitate interpretatio est desumenda potius à prima transcriptione, quàm ab aliis.*
16 *Scriptura dubia semper ab aliis certis est declaranda.*
17 *Rotæ sufficit vincere per non jus actoris.*
18 *Quando verbum abbreviatum interpretandum sit quòd loquatur de tempore præterito, vel futuro.*
19 *Probatis extremis media præsumuntur.*
20 *Pontifices qui solent concedere indulta, ut pensiones retineantur non obstante matrimonio, specificè includunt pensiones reservatas, & reservandas.*
21 *Itaut si in aliqua gratia alteram de prædictis non expressérit, censetur aliam includere noluisse.*
22 *Minor virtus est quærere, quàm parta tueri.*
23 *Æquitas in jure non scripto minimè non attendenda.*
24 *Indulta proretinendis pensionibus benignam non merentur interpretationem.*
25 *Ea quæ petitorium respiciunt, retardare non possunt manutentionem.*
26 *Pensionarius, qui matrimonium contraxit, non est in exactione manutenendus cum præsupposito, quòd possit in petitorio indultum ostendere, & nu.* 28.
27 *Præsumitur ex productione unius tituli, quòd alter non adsit.*
29 *Pensionarius qui pensionem exegit post matrimonium contractum, eam tenetur restituere.*
30 *Amplia, ut nec excuset bona fides.*
31 *In sententia potest fieri condemnatio de iis, quæ virtualiter in decisionibus continentur, & nu.* 32.

DECISIO LXXV.

EXpertus in præcedenti instantia coram Reverendissimo Domino meo Decano illud idem, quod sibi accidisse testatur Hieron. Gigas *in suo tractat. de pension. quæst.* 54. *sub numer.* 4. nimirùm, quòd per contractum matrimonii pensionem, quam obtinebat super quodam beneficio Ecclesiastico, deperdiderit, provocavit Alphonsus à sententia pronunciata per eumdem Reverendissimum Decanum, tam super extinctione pensionis, quàm super cessatione manutentionis sub ulteriori condemnatione refundendi pensiones post celebratum à se matrimonium de anno 1684. ideòque impetrata commissione coram me conquestus est non minùs de injustitia ejusdem sententiæ, veluti prætendens, se fuisse per S. Sedem legitimè dispensatum ad effectum retinendi matrimonio non obstante pensiones Ecclesiasticas in longè majori summa ducatorum 500. quàm etiam de nullitate, ex quo memorata sententia fimbrias excesserit ordinis judicialis, ac decisionum, quæ præcesserant: Sed Domini post accuratum reclamationis interpositæ examen responderunt, & sententiam Rotalem esse confirmandam, & dandam non esse manutentionem Alphonso.

Nulla siquidem nullitas reperta est aliquam habere subsistentiam; quamvis enim primo loco diceretur, præfatam sententiam apertissimè corruere, ex quo cum Alphonsus usque de anno 1685. reportasset in Tribunali Auditoris Cameræ sententiam sibi favorabilem super duratione, ac validitate pensionis controversiæ, non poterat, nec debebat Reverendissimus Decanus definire contrarium, nedum expressè non revocata, sed nec etiam facta mentione sententiæ præcedentis, quando regulariter notorium est, postremum judicatum collabascere, & esse nullum, quoties explicitè non meminit de primo, illudque nominatim non revocat, & infringit, juxta litteralem responsum Imperatoris Alexandri in *l.* 1. *C. quando provoc. non est necess.* Rota *decis.* 188. & *decis.* 312. *part.*5. *recent. dec.* 223. *par.*7. *decis.*191. *part.*14. & *decis.*60. *part.* 19. *in omnibus nu.* 1. *cum seqq.*

Multiplici responsione remansit abscissum primum hoc nullitatis caput; posthabita namque notoria injustitia sententiæ ejusdem Auditoris Cameræ, veluti fundatæ super quodam (ut inferiùs) insubsistente sumpto prætensæ gratiæ retinendi pensiones, in quibus sanè terminis, quia notorietas injustitiæ æquiparatur positivæ nullitati, opus non est facere mentionem de actu nullo, qui non enti, ut Philosophi, & jura nostra dicunt, æquiparatur, Surdus *cons.* 2
160. *nu.* 50. Gratian. *dec. Mareb.*197. *in addit. num.* 2. ibique Scopp. *ex nu.*15. *usque ad fin.* Rota coram Seraphin. *dec.* 1123. *num.* 5. & 6. Dunozet. Jun. *decis.* 326. *num.* 2. Bich. *decis.*370. *num.* 18. & 19. & *decis.* 166. *nu.* 11. coram Card. Cerro.

Placuit reflectere, quòd id potiùs Alphonso, ejusque defensoribus foret imputandum, quàm judici; cum enim iidem defensores omiserint in actis non solùm objectare, sed etiam allegare præfatam sententiam, judex, qui non tenetur divinare, sed de justitia respondere, prout dicitur, secundùm acta, & probata, nullitatem minimè incurrit, si de facto sibi non noto non meminit in sua sententia; quemadmodùm huic eidem oppositioni, seu prætensæ nullitati respondentes tradiderunt, Roman. *consil.*410. *nu.* 4. Sur- 3
dus *dicto cons.* 160. *nu.* 51. latissimè Cancer. *variar. resolut. part.*3. *cap.*17. *à nu.*1. *usque ad nu.*63. Altimar. *de nullit. rubr.* 13. *quæst.*29. *nu.*62. Rot. coram Bich. *dicta decis.* 370. *nu.* 20. & *dec.*468. *nu.* 7. & *in recent. decis.*90. *num.* 7. *part.* 10. *decis.*

*decis.*193. *num.* 3. *part.*13. *dec.*443. *num* 3. *part.*14. *dec.* 706. *num.*4. *part.* 18. & in Bononien. Fideicommissi de Ghisellis super renunciatione, & usufructu 4. Julii 1687. §. *Alia demùm nullitas*, coram Eminentissimo Caccia Archiepiscopo Mediolanen.

Certiùs, quia Reverendissimus Decanus in hoc negocio processerat vigore commissionis, sive appellationis interpositæ à quodam decreto Vicarii Neapolis, quod idem modernus Dux Alphonsus reportaverat forsan attentatè, nempè postquam causa delata fuerat ad curiam super manutentione in ass. quasi possessione exigendi; quapropter si memoratus Alphonsus loco prosequendi judiciales suas petitiones in curia rediit ad partes, vel intrant ex ejus parte attentata, ut nullitas, per ea, quæ discussa fuerunt in
4 Bononien. fideicomm. de Bedoris 24. April. 1693. coram R. P. D. meo Muto; vel in omnem casum judex, qui processit in vim commissionis independentis, & vigore novi processus, novarumque probationum, non tenebatur, etiamsi aliundè sciret, facere mentionem de judicato, quod remanebat extraneum à sua commissione, sicuti perbellè firmant Gabr. *cons.*54. *sub nu* 8. *vers. tertium lib.*1. Rot. coram Bich. *dec.*290 *nu.*5. *repetit. dec.* 24. *nu.*4. *par.*10. *recent.*
5 & *dec.*449 *nu.*2. & 3. coram Cardin. Cerro.

Ejusdemque frigiditatis compertæ sunt secunda, & tertia nullitas, altera nimirùm, quòd stante protestatione contra judicium petitorium, sive suspensione facta pro parte ejusdem D. Ducis ipsius judicii petitorii, nequisset judex secundæ instantiæ pronunciare super meritis, vel eodem petitorio; & altera, quòd multo minùs sese immiscere valuisset in condemnando Alphonsum circa refusionem perceptarum pensionum; siquidem quatenùs pertinet ad primam ex his postremis, Domini, qui aliàs transire poterant cum regula, quòd ubi petitorium absorbet possessorium, de eodem possessorio curandum non est, nihilominùs etiam scrupulositati ordinis ex abundanti inhærentes existimarunt procedi posse, ac debere, prout frequentissimè practicatur, cum doctrina Barthol. optimè distinguentis *in leg. naturaliter*, §. *Nihil commune sub numer.* 26. *vers. restat quando*, *ff. de acquir. possess.* nimirùm quòd vel actor, & reus certant ad invicem super possessione, tunc que si alteutra partium instet priùs super possessorio pronunciari, idest super controversia inter easdem partes præcisè, & primordialiter vertente, eoque casu ligatæ censeri valeant manus judicis, ne tangat petitorium, de quo tunc non est positiva controversia apud litigantes; aut verò altera non negat se non possidere, sicut contingebat in hodierna hypothesi, ex quo Titularis minimè contendebat, se esse in quasi possessione libertatis non solvendi, tunc que citrà nullitatem potest judex super petitorio sententiam ferre, quam sanè doctrinam Barthol. pluries secuta est Rota, & signanter *decis.*97. *nu.* 3. *part.* 2. *diversor.*
6 *decis.* 126. *num.* 4. & 5. & *decis.* 337. *num.* 11. coram Buratt. & *decis.* 357. *numer.* 2. coram Merlin. & *decis.* 294. *numer.* 4. *part.* 14. *recent.* & in terminis pensionis eadem Rot. *decis.* 340. & 341. *utrobique numer.* 3. & 4. apud Posthium *de manutent.* & coram Peutinger. *decis.* 329. *numer.* 34. & Coram Caril. *decis.* 245. *numer.* 5. & *seqq.* & *decis.* 301. *numer.* 2. *cum seqq.* & in Tridentina pensionis 10. Maii 1683. §. *Quia sententia*, coram bonæ memoriæ Albergato.

Et licèt doctrina Bartoli, & aliæ præcitatæ authoritates percutiant reverà terminos præservandi à nullitate sententiam latam super petitorio, etiamsi fuerit de illius suspensione protestatum, non verò ad effectum, ut quemadmodum se gesserat Reverendissimus Dominus meus Decanus in sua sententia, pronunciaretur nedum super petitorio, sive extinctione pensionis, verùm quoque super possessorio, denegando manutentionem Alphonso; attamen & validè, & necessariò super ipsa possessione, & manutentione sententia Reverendissimi Domini mei Decani, quam hodiè Domini confirmarunt, manus immisit, quia si ad effectum impediendi manutentionem pensionario, quantumvis actu reportasset mandatum de manutenendo, sive ad finem retardandi effectum, aut executionem ejusdem mandati de manutenendo jam con-
7 cessi, fortè sat est, dubitari valdè probabiliter posse de extinctione pensionis, ut censuit Rota in una Mediolanen. Pensionis 5. Decembris 1607. coram Marquemontio, & secuta est eadem Rota *decis.* 524. *numer.* 15. *par.* 5. *tom.* 2. *recent.* utique in casu nostro extinctio pensionis de per se absque alia extrinseca probatione, vel disputatione reddebatur indubitata ex incontroverso apud partes matrimonio, quod contraxerat Alphonsus; cum enim pensio juxta suam veram, ac legitimam introductionem reservari soleat existentibus in ordine Clericali loco beneficii, eo ipso, quòd per eumdem Clericum contrahitur matrimonium, & cogitur idem Clericus dimittere beneficium, & pensio extingitur, vel ex eo, quia Clerico conjugato nullum remanet ex Apostolica Indulgentia Privilegium, nisi Canonis, & fori, ut in *capit. unic. de Cleric. conjug. in* 6. vel ex eo, quia Clericus celebrando matrimonium, si non totaliter redditur indignus emolumentorum Ecclesiæ, censetur saltem militiam Sacram deserere voluisse, & renunciare aliis privilegiis characteri concessis, & signanter beneficiis, atque pensionibus, quemadmodum sine contradictore, ad interpretationem text *in in cap.* 1. & 2. *de Cleric. conjug. in decretal. & dicto cap. unic. eodem titul. in* 6. juncto stylo Curiæ pro regula infallibili, tradiderunt Gig. *de pens. dicta qu.* 54. *n.* 4. & *seq.* Tondut. *eodem tract. cap.* 75. *ex n.* 4. *cum seqq.* Sanchez *de matrim. lib.*7. *disput.* 44. *n.* 5. Capon. *discept.* 40. *col.* 4. *n.* 3. Episc. Rocc. *select. disput. jur. cap.* 49. *sub n.* 89. Rota *dec.* 166. *n.* 1. coram Cavaler. *dec.* 86. *nu.* 14. & 15. & *dec.* 791. *num.* 1. coram Buratt. & *dec.* 95. *num.* 5. post Vivian. *de jurepatron.* & in Camerinen. Pensionis 26. Junii 1641. §. *Verum*, coram cl. mem. Card. Panzirolo, & *dec.* 165. *n.* 1. *cum* 2. *seqq. part.* 17. *recent.*

Idque adeò verum, ut non defuerint, qui ampliantes regulam præmissam, constanter voluerint, jus, titulum, sive commodum pensionis, adeò in radice evelli ab ossibus Clerici matrimonium ineuntis, ut pensio adhuc remaneat extincta, licèt vel mulier per solemnem professionem ingrediendo Monasterium dirimat in suis casibus antè copulam matrimonium contractum, vel matrimonium ipsum deinceps declaretur nullum, dummodò nullitas non proveniat ex defectu consensus, sicuti in proposito primæ propositionis videre est apud Gig. *de pens. dicta qu.* 54. *nu.* 9
8. Ciarlin. *controv.* 36. *n.* 55. Tondut. *de pension. dicto cap.* 75. *ex nu.* 16. *usque ad* 24. & in propositio secundæ - idem Tondut. *resolut. benef. tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 5. §. 4. *nu.* 18. & 24. Capon. *discept.* 253. *cap.* 1. *sub n.* 20. Card. de Luca *in posth. tract. de pension. cap.*13. *n.* 7. *in fin.* Adden. ad Buratt. *dicta dec.* 791. *n.* 10. Rota coram Cavaler. *dicta dec.* 166. *n.* 3. & *seq.*

Cum itaque cessasset in radice jus, titulus, & commodum pensionis respectu Alphonsi, non poterat judex ei non denegare manutentionem, quando & ea denegatur, quoties, (ut diximus,) aut petitorium absorbet possessorium, aut idem possessorium à petitorio dependet, teste in primis terminis Spad. *cons.*55. *n.* 10. & 11. *lib.* 3. Posth. *de manu-* 10
tent. observ. 42. *nu.* 158. *cum seqq.* Pignatel. *consult. Canon.* 144. *n.* 8. *tom.* 9. Rot. *dec.* 83. *n.* 5. *part.* 5. *recent. dec.* 333. *n.*17. & 18. *par.* 17 *dec.* 182. *n.*13. & 14. *par.*18. & in Me- 11
levitana Commendæ 20. Aprilis 1676. §. & *quartò*, coram bonæ memoriæ Bourlemont; & in secundis, Spad. *cons.*279. *n.* 2. *lib.* 2. Altimar. *de nullit. rub.*13. *qu.*15. *n.* 17. Rot. *dec.* 418. *num.* 1. *ad fin. part.* 4. *recent.* & *dec.* 215. *nu.* 34. apud Posth. *de manutent.* & in Nullius Provinciæ Tarraconen. jurisdictionis super bono jure 30. Aprilis 1693. §. *fin.* coram bonæ mem. Emerix.

Et de facta totus conatus pro parte defensorum Ducis Alphonsi versabatur in eo, quòd ipse consecutus esset à san. mem. Alexandr. VII. indultum retinendi pensiones non obstante matrimonio, cumque ad hunc effectum exhibere idem sumptum, super quo lapsus fuerat, ut supra A. C. in proferenda sententia super duratione pensionis, itaut etiam ex hoc capite Domini prima vice propositionis causæ à me factæ resolutionem distulerint; agn tum nihilominùs successivè fuit, prætensam dispensationem, sive indultum minimè suffragari, & propterea adhæserunt aliàs denegatæ manutentioni, & dixerunt, sententiam Reverendissimi Decani mereri confirmationem etiam in petitorio super extinctione pensionis; circa namque primam partem, in qua propriùs consistebat hæc secunda nullitas, superabundasset, juxta jam firmata, sive præmissa, 12
sola turbiditas ex *dicta decis.* 524. *nu.* 15. *par.* 5. *recent.* Sed cessabat amaritudo ex attenta perquisitione facti coram me concordati, juxta quam non tantùm memorata turbiditas stabat in exceptione opposita per Ducem, at clarissimè liquebat, indultum, ac dispensationem nullo modo cantare circa pensiones de præterito, & antè matrimonium, (ut erat ista) reservatas, sed quoad in posterum reservandas; præmisso enim, quòd pro parte D. Ducis nullatenùs exhibeantur brevia, seu indulta originalia, quod-

quodque plus est, nec etiam supplicationes pariter originales, sub quibus apponitur signatura Papæ, quæve tunc penes ipsas partes ultrò relinquebantur ab Officialibus ejusdem Papæ, & certum erat, ac necessarium illas supponere, tam ad ejusdem D. Ducis favorem, quàm alterius ejus fratris, simili gratia retinendi per san. mem. Alex. VII. communiti, ac decorati; quapropter non levis adversus eumdem Ducem Alphonsum legalis insurgeret præsumptio, quòd eadem brevia, ac supplicationes, quas sub prætextu deperditionis recusabant illius defensores exhibere, expressè dicerent, seu sonarent de pensionibus reservandis, & non de reservatis, ut in similibus sæpiùs dis-
13 ctum fuit, præsertim *in decis.* 294. *num.* 21. coram Priol. & *dec.* 644. *num.* 9. coram Carrd. Cerr. & in Forosempronien. Testamenti 4. Martii 1697. *§. fin.* coram R. P. D. meo Caprara, confirmata 11. Decembris ejusdem anni, *§. Movit etiam*, & rursus in alia edita sub hac eadem die, *§. Verum*, coram me.

Adhuc introspecta memorata perquisitione palpatum abundè fuit in primis, quòd in libro detineri solito per Officialem datariæ à compositionibus, sive taxis emolumentorum nuncupatum *delle componende*, gratia, sive indultum, quod fuerat Alphonso impartitus san. mem. Ale. VII. specificè dicebat idem indultum esse circa pensiones reservandas, non autem reservatas, *Summar. Titularis dato sub die* 16. *Januarii proximè preteriti nu.* 6. qui sanè liber nuncupari meretur, & est prima copia, quæ depromitur per eosdem Officiales, ac Ministros datariæ respectu bullarum, ac brevium originalium, quæ à Sanctissimo D. Nostro signantur, & conceduntur; undè juncta non exhibitione originalis, ut suprà, proculdubio in hac controversia, utram gratia cantaret de pensionibus reservatis, vel reservandis, standum erat primæ copiæ, sive exemplo, quemadmodum habemus in aliis publicis instrumentis, in quibus deperdito protocollo, seu matrice, etiam fortuitò fides adhibetur primæ transcriptioni, sive exemplari, quod per successorem,
14 vel Ministrum ad id deputatum fuerit transcriptum, ut ait Scacc. *de judic. lib.* 2. *cap.* 11. *nu.* 719. & *seqq.* & concordat Rot. coram Burat. *dec.* 724. *sub n.* 3. *vers. & prima, & dec.* 165. *n.* 21. *cum duob. seqq.* coram san. mem. Alex. VIII.

Eòque fortiùs, quia cum post primariam descriptionem factam in præfato libro *delle componende*, transportentur supplicationes originales ad librum inscriptum, *Registro di Suppliche*, in illo signanter, in quo extitit annotata, seu registrata hæc præcisa supplicatio Ducis Alponsi, nullatenùs apparebat sub extensio litteræ, quæ ad oculum complecteretur pensiones jam reservatas, totumque idcircò sistebat æquivocum in eo, quòd littera aperta præseferebat tantummodò, *reserva*, cum quadam lineolæ subductione, & (ut scriptores dicunt,) *gambetta*, sub hac forma videlicet, *reserva*, proindeque, & cessante originali, ut suprà, non exhibito pro parte Alphonsi, quodve penes ipsum præsumebatur extare, & stante prima transcriptione litteraliter sonante circà pensiones reservandas, utique non poterat præfata subductio lineolæ umquam referri ad effectum volitum à D. Duce pensionario, cùm potiùs posita saltem ambiguitate, interpretatio desumenda veniat à prima transcriptione tamquam à primo exempla-
15 ri, sicuti prosequitur Rot. *dec.* 281. *nu.* 5. cor. Manzaned. & *dec.* 244. *n.* 38. coram san. me. Alex. VIII. concomitante regula, quòd scriptura dubia semper ab aliis certis declaran-
16 da est, ad Rot. cor. Coccin. *dec.* 235. *n.* 10. & *in rec. dec.* 686. *n.* 17. *par.* 4. *tom.* 3. & *dec.* 209. *n.* 36. *part.* 19.

Augebatur pro parte Titularis claritas, quamvis e idem sufficeret vincere per non probàtam ab excipiente suam
17 exceptionem, in qua dicitur actor, *vulg. l. qui accusare, Cod. de edend. & in l. in exceptionibus, ff. de probation.* quia revolutis voluminibus super consimilibus registrationibus supplicationum in præsentia mei non parùm probi, accurati, ac diligentis studiorum adjutoris, quive mecum substinet in hoc Sacro Tribunali pondus diei, & æstus, compertum fuit, quòd illa indulta, brevia, ac gratiæ, quæ ex necessitate sermonis percutiebant præterita, explicitè ultra vocalem secum ferebant litteram T, ut pluries, ac præcisiùs effulgebat in verbis frequentioribus occasione privilegiorum, vel statutorum emissis, nempè *reborata*, & *confirmata*; quemadmodum è converso, quotiescumque
18 significandum erat tempus futurum, usurpari passim solebat præfata subductio, sive adjectio lineolæ post vocalem inferiùs descendentis, exempli gratia circà verbum, *exeque*, & *transferre*, quod utique non præterlapsum, sed futurum, juxtà grammaticos, tempus concernit, ac ferit; sicque omnibus hucusque insinuatis accedente diversitate formulæ scriptorum (qui quandoque, ut dicebat Macrobius, dum breviores fieri volunt, obscuriores fiunt) in uno casu resipiente futurum, & in altero percutiente præteritum, diversam quoque capessendam esse interpretationem Domini non dubitarunt, ex iis, quæ in proximis, sub eadem tamen ratione, considerarunt adducti per Modern. Lucen. *consult.* 99. *n.* 41. Rot. *dec.* 154. *n.* 3. & *dec.* 492. *nu.* 24. coram Bicchio, & *dec.* 302. *nu.* 6. *vers. Item concurrit pari.* 1. *recent.*

Ac denique evidentiùs, quoniam ostendit solers Patronus D. Aloysii Capycii Galeottæ Titularis, quòd in Codicibus Cancellariæ, in quibus transcribuntur brevia, & bullæ Pontificum per extensum, vocanturque, *Minores Gratiæ*, apparebat annotatum indultum obtentum à D. Duce, necnon à D. ejus fratre sub clara, ac explicita expressione pensionum reservandarum; quamobrem conjungendo primam transcriptionem factam in libro Componendarum datariæ, hancque postremam in illis Cancellariæ, intermedia registratio, quæ etiam de per se præfulgebat contraria Alphonso, non poterat alium recipere intellectum, quàm à suis extremis, quibus (ut fert adagium) media consimilia præsumuntur, ut inquit Bero. *cons.* 96. *numer.* 19
14. *volum. primo* Altograd. *cons. decimoquarto numer.* 83. *lib.* 2. Cost. *de scient. & ignor. cent.* 2. *dist.* 11. *nu.* 19. Rot. *dec.* 111. *nu.* 41. *cum duobus seqq. part.* 5. *recent.*

Neque ad majorem firmitatem petitorii, secum in consequentiam trahentis, ut præmissimus, judicium possessorum, majora profectò optari posse videbantur argumenta demonstrativa, quòd indultum allegatum ex parte D. Ducis contra subitaneam extinctionem pensionis contracto matrimonio minimè illum adjuvaret; & tamen perpensum fuit, quòd quando Pontifices benignè, ut par est, indulgentes iis personis, qui vel in Conclavi, vel suo servitio addicti impensiores subeunt labores, intendunt matrimonio non obstante eisdem personis elargiri facultates opportunas in ordine ad pensiones, formaliter exprimunt gratiam, quam attribuunt, tam circa pensiones reservatas, quàm circa reservandas, prout videre est in formula transcripta, ac examinata in Romana pensionis 12. Februarii 1685. *sub §. Cumque D. Vanninus*, coram bonæ mem. Pauluccio, & 20
colligitur etiam *ex decis.* 165. *nu.* 4. 11. & 13. *par.* 17. *recent.* Ac propterea cum idipsum in gratia, de qua agitur, factum non fuerit, itaut tota defensio Alphonsi maneret sub intelligentia præfatæ lineolæ seù gambettæ, profectò diversitas hujus styli ab eo practicati, quando Papa censuit, ac voluit, diversam quoque arguit intentionem, ac voluntatem in concedente, ad tradita per Card de Luca *de pension.* 21
disc. 2. *nu.* 9. & *disc.* 75. *num.* 10. Rot. coram Coccin. *decis.* 328. *num.* 2. & *dec.* 691. *num.* 3. coram Dunozett. Jun. & *decis.* 174. *num.* 48. & 49. *part.* 12. *recent.*

Unica suberat æquitativa ponderatio, seu reflexio, quòd captivari non valebat intellectus, quare fuerit interposita supplicatio; & gratia concessa super pensionibus, quæ à futuro pendebant eventu, magis quàm pro pensionibus actu obtentis, & permanentibus penes indultarium, cum minor virtus sit quærere, quàm parta tueri, ut in alio proposito 22
innuebat Rot. *decis.* 725. *num.* 8. & 9. *part.* 18. sed hac reflexione non obstante, Domini non existimarunt posse recedere à præmissis, tribuendo huic facto quamplures compensativas rationes, vel quia fortè Papa noluit præservare pensiones jam reservatas, quasi in majorem sequelam Canonum, sive in quamdam pœnam, in quam sciens incurrebat Alphonsus, si volebat contrahere matrimonium, amittendo sic certa, & persequendo incerta; vel quia id totum accederit ad evitandum majus dispendium, quod in expeditione unius, sive alterius gratiæ obtigisset; aut ex incuria expeditoris, aut denique quia Dux Alphonsus plus speraret verisimiliter consequi à claræ memoriæ Cardinali Philomarino ejus patruo, quàm de præsenti haberet, sicuti respectu pensionum etiam ex post obtentarum demonstrabant scribentes pro Titulari, *hodierno Summario num. final.* In omnem verò casum sola hæc consideratio non potuit detorquere Dominos à sententia prædicta, quia cum æquitas in jure non scripta parum veniat facienda, ad no- 23
tata per Bartol. *in l.* 1. *num.* 1. *Cod. de legibus*, Card. de Luca *de regal. disc* 106. *num.* 10. Rota *decis.* 386. *num.* 22. & *decis.* 567. *num.* 57. & *seqq.* coram Merlin. prævalebat exorbitantia, & odiositas materiæ retinendi contra Canones supra relatos emolumenta Ecclesiastica in statu conjugali, quæve idcircò non admittebat, ut de casu ad casum benignior fieri posset interpretatio, vel extensio notoriis juri-

bus,

bus: de quibus Spad. *cons.* 71. *nu.* 1. & *cons.* 74. *sub nu.* 2. *vers.*
24 *terziò quia*, & *nu.* 4. *lib.* 3. Rota *dec.* 69. *nu.* 27. & *seq. decis.* 216. *nu.* 9. coram Cardin. Celf. & *decis.* 212. *nu.* 7. apud Torr. *de pact. futur. success.* cum cæteris in prima decisione hujus causæ 26. Novembris 1696. *§. Nec urget, & seq.* & in secunda diei 22. Aprilis 1697. *§. Data autem*, coram Reverendiss. D. meo Decano.

Superlativè itaque detecta insufficientia indulti, de per se evanuit inculcata insistentia super possessorio, e x illo alio fundamento, quòd nec matrimonium de sui natura capax esset rumpendi manutentionem debitam pensionario existenti in quasi possessione exigendi, cum possit hic in petitorio docere de indulto sufficienti, vel quòd sola possibilitas alterius indulti sufficiat pensionario, ne interim privetur commodo suæ quasi possessionis, etiamsi perpensum, & allegatum, ut supra, non subsisteret, per ea, quæ in terminis antecedentis conclusionis habentur apud Spad.
25 *cons.* 72. *ex nu.* 1. *cum seqq. & signanter nu.* 5. *lib.* 1. & *cons.* 55. *nu.* 9. *lib.* 3. Barbos. *in prax. exig. pension. part.* 1. *quæst.* 2. *n.* 55. Tondut. *de pension. cap.* 50. *nu.* 14. & *cap.* 51. *nu.* 1. & 5. Cardin. de Luca *eodem tract. disc.* 45. *nu.* 2. & *seqq.* Rot. *dec.* 318. *nu.* 8. apud Posth. *de manutent. & dec.* 124. *nu.* 16. *par.* 19. & ad effectum subsequentis tradiderunt Lotther. *de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 48. *nu.* 296. *cum duobus sequent.* & Rot. *dec.* 422. *n.* 10. penes eundem Posth. *de manutent. & dec.* 277. *nu.* 34. & *sequen.* coram Peutinger.

Quoniam ultrà responsiones optimè adductas in secunda decisione Reverendiss. Domini mei Decani 22. Aprilis anni proximè præteriti ex *§. Nec ad illas declinandas cum plur. seqq.* ubi singulariter, & benè declarantur doctrinæ, quæ circumferebantur in oppositum; jam fusè superiùs ostensum fuit, matrimonium suapte natura evellere à pensionario jus, titulum, & commodum cujuscumque emolumenti Ecclesiastici, sive consistat in Officio, sive in beneficio, sive in pensione; undè excipiens de possibilitate indulti, veluti habens resistentiam juris contra se, & maximè cum similia indulta non sint adeò frequentia, & solita, sed rara, & ex particulari ratione semper à S. Sede concessa, tenetur de hujusmodi indulto edocere, tamquam de fundamento suæ intentionis in perseverando circa legitimam facultatem continuandi in exactione pensionis, juris, & SS. Canonum gladio ab ipso momento contracti matrimonii obtruncatam: cum etenim extrinseca qualitas habilitativa, vel Apostolica dispensatio regulariter non præsuma-
26 tur, teste Mascard. *de probat. conclus.* 522. *nu.* 1. Martesc. *variar. resol. lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 32. Pasterin. *in cap. Ordinarii nu.* 27. & *nu.* 44. *in fin. de offic. ordin. in* 6. Rota *dec.* 360. *nu.* 7. coram Bich. idcircò Alphonsus, qui habebat præsumptionem sibi reluctantem, arctabatur penecessè probare
27 contrarium, ut inquit Ramon. *cons.* 42. *sub nu.* 11. *vers. & is*, Contrius *discept. forens.* 74. *sub nu.* 12. *vers. quoniam*, Modern. Lucens. *consult.* 95. *num.* 12. & Modern. Lucens. *consult.* 95. *num.* 12. & Modern. Perusin. *de contract. minor. glos.* 6. §. 12. *nu.* 69.

Quinimò quantumvis ad exuberantiam possibilitas alterius indulti, seu dispensationis, non parùm submovebatur in facto per rimationem officii regestri, tam publici, quàm secreti, in quo solent, ac debent adnotari supplicationes omnes porrectæ pro dispensationibus, & gratiis à Papa concessis, *Summario Titularis*, dato sub die 10. Januarii proximè præteriti *nu.* 4. & in jure, quia præter proximè animadversa, eo ipso quòd Alphonsus produxit coram A. C. sumptum san. mem. Alex. VII. repertum insubsistens, non potest convolare ad aliam suppositionem, & possibilitatem; quisque namque præsumitur semper produxisse titulum meliorem, maximè in judicio formali, & super quo
28 sententiam extorsit, juxta aliàs firmata *in dec.* 552. *num.* 8. coram Coccin. & coram Dunozett. Jun. *dec.* 731. *num.* 55. Royas *dec.* 80. *nu.* 7. & 8. Carill. *dec.* 94. *nu.* 4. Celf. *dec.* 239. *n.* 11. & *dec.* 273. *nu.* 12. & coram Priol. *decis.* 40. *nu.* 16. & *in recent. dec.* 204. *n.* 18. & 19. *part.* 18.

Remansisset discutienda postrema nullitas elicita ex eo, quòd citrà formam decisionum in præcedenti sententia, processum fuerit ad condemnationem D. Ducis super refusione pensionum preceptarum à die contracti matrimonii, & maximè quia Modernus Cimiliarca Titularis non solverat præcedentes terminos, sed solùm demortuus ejus antecessor; Sed Domini quantumvis, tam de stylo, quàm ex vi constitutionum Apostolicarum, abstractivè admitterent nullitatem latiùs explicatam in Romana Cambii 31. Januarii mox elapsi coram me, in qua aliæ vetustiores decisiones reassumuntur id ipsum firmantes.

Attamen facili negotio super hac nullitate transierunt, quia cum in necessariam, & ex eadem judicio patefactam, ac palpabilem consequentiam veniret restitutio pensionum, quas exegisse probatur pensionarium post initum à 29
se matrimonium, ut probat Lotther. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 38. *nu.* 228. & *seqq.* Rot. *dec.* 15. *per to.* post Zacch. *de obligat. Camer. & dec.* 693. *n.* 1. *in fin. part.* 1. *recent.* itaut deficiente substantia tituli, sive radice exigendi, neque bona fides excuset, quia remaneret penes exigentem lucrum sine causa, ut prosequitur idem Lotther. *d. qu.* 38. *nu.* 232. & *seqq.* & dixit Rot. *dec.* 3. *n.* 6. & 7. & *dec.* 28. *ex n.* 1. *cum plur. seqq. p.* 7. *rec. dec.* 418. *n.* 6. & *seqq.* & *dec.* 500. *à n.* 4. *cum plur. seqq. part.* 9. & *dec.* 818. *n.* 2. & 3. coram Dunozett. Jun.

De plano sequebatur, quòd Reverendiss. D. meus Decanus rite, ac rectè descenderit ad hujusmodi condemnationem, quia quemadmodum dicimus de excutiente granum à spiscis, nihil is agit de novo, sed tantummodò detegit, quod intùs erat, ut per text. *in l. adeò, ff. de acquir. rer. domin.* advertit Card. de Luca *de benefic. disc.* 36. *nu.* 8. ita statim, ac Rota censuerat extinctam esse pensionem, sententia nullo modo excidebat, sed dumtaxat meliùs explicabat deducta, & firmata decisionibus, quæ præcesserant, ex iis, quæ passim videri possunt, *ut in dec.* 188. *n.* 3. & 4. apud Cenc. *de cens. dec.* 159. *n.* 8. *part.* 11. *dec.* 229. *n.* 7. & *seqq. par.* 17. in Romana Census 15. Februar. 1686. *§. fin.* coram Eminentiss. Caccia Archiepiscopo Mediolanen. in Ferrarien. Cappellaniæ super Gratia si neutri 10. Junii 1695. *§. fin.* coram R. P. D. meo Priolo, & in Romana, seu Portuen. Tenutarum super negotio principali 17. Junii anni præteriti, *§. Et quidem*, coram R. P. D. meo dell'Olmo.

Atque ita cum in sententia pluries memorati Reverendissimi D. mei Decani nihil diceretur, ad cujus favorem restituendæ forent pensiones (nempè vel ad favorem Cameræ, vel hæredum, aliorumque) sententia, quæ ex vulgaprout de jure semper intelligitur, hodiè justè, & validè ab assertis nullitatibus vindicata, promeritam confirmationem obtinuit, utraque &c.

R. P. D. CAPRARA,

Romana Pensionis.

Veneris 29. *Februarii* 1692.

ARGUMENTUM.

Jurisdictionem temporalem exercentes, incapaces reputantur retinendi pensiones; an autem hæc traditio procedat in feudatariis Sanctæ Sedis, & in iis qui Equites sunt Lauretani, licèt signum Crucis non deferant, juxta casum *disc.* 46. *de pens.* Card. de Luca, in hac decisione habetur.

SUMMARIUM.

1 P*ensio retinet naturam beneficii, & subiicitur omnibus legibus loquentibus de beneficio.*
Contrà, nu. 3. 4. 5. & 6.
2 *Beneficium quod habuit pater, non potest conferri filio.*
An idem sit in pensione, eodem n. 2.
3 *Pensioest qui à merè temporale.*
In aliquibus differt à beneficio, n. 3.
4 *In impetratione beneficii quando sit facienda mentio pensionis reservatæ.*
7 *Regressus conceditur, si Titularis non solverit pensionem, & non in alio casu, & quando.*
8 *Pensionis est incapax habens merum, & mixtum imperium.*
Idem est in exercendo jurisdictionem sanguinis; seu officium criminale, eod. n. 8.
9 *Miles sæcularis est incapax pensionis.*
10 *Baro habens feudum est incapax pensionis.*
Contrà, num. 11.
Declara, ut num. 12.
13 *Miles in servitio sedis Apostolicæ non amittit pensionem.*
14 *Clericus ut dicatur privatus statu clericali, & pensione, requiritur trina monitio, ut deserat militiam, & reassumat habitum.*
15 *Papa censetur dispensare, eo ipso quòd dirigit gratiam alicui inhabili.*
16 *Equites Lauretani sunt pensionum capaces.*
17 *Amplia, etiam si non detulerint signum Crucis.*
18 *Observantia inservit in materia pensionum.*

D. E-